

809

aut in acie moriendi, aut publicam libertatem retinendi, statuunt Veneti hosti occurrere, ac ea parte belli ultimam fortunam potissimum experiri, qua plurimum patria virtus polleret. Observato itaque aquarum in altum recursu, expeditissimis naviis & ad conserendam & eludendam pugnam idoneis insidentes, vento & aquis secundis in propinquantem hostem ferociter invehuntur; atrocissimum continuo oritur prælium, verum variis animis. Gallus cupiditate prædæ & rerum gestarum gloria accensus, fortiter dimicat: at Venetus pro liberis, uxoribus, publicis privatisque fortunis, proque ipsa libertate, quæ horum omnium erat charissima, in pugnam ruebat. Et quia pons admodum rudis fuit atque infirmus, utpote qui æstu maris ageretur, insuetus hostis, quia consistere non poterat, continuo titubare cœpit: contra Veneti navigiorum celeritate freti, a fronte, a lateribus ferociter incursant: demum vi soluto ponte (quod quidam putant, tempestate factum, quæ sub initium pugnæ orta fit) continuo fœdissima oritur cædes: hinc ferrum, inde aquæ territo hosti mortem intentant. Multi igitur cæsi, plures in mare præcipitati: res ipsa nomen loco fecit, ut ab insigni clade canalis flexuosus, quo a Medoaco in Rivum altum navigatur, *Orphanus* postea sit dictus. In hunc modum a Venetis adversus Pipinum Caroli filium prospere pugnatum accepimus.

Libethic, & fas est, rerum Venetarum in quibusdam eventus Romanis, quod sæpe facturi sumus, comparare: nam multa reperio in utraque Republica tam prosperis quam adversis inter se simillima. Siquidem constat, prosperos utriusque populi cursus crescentemque fortunam a subito barbarorum incursu pene oppressam: quanquam sua temporum novitate aliquanto junior tunc res Veneta erat, quam Romana Senonico bello fuisse: verum utraque ex Gallia hostem sortita est: Senones illa ferocissimum genus hominum, sed ante urbis captivitatem pene ignotum: hæc Belgas, gentem non minus ferocem, verum Senone longe opulentiorem, quippe quæ Imperii accessione Italicisque auxiliis non mediocriter florebat. Romanus hostem in se

ver-

*Veneti na-
vali prælio
Pipinum
vincunt.*

*Canalis Or-
phanus.*

*Venetorum
comparatio
cum Roma-
nis in suc-
cessu bello-
rum Galli-
corum.*